

alter oblivionem adferat. Sed missis his ad ea tantum oculos nostros convertamus, quæ nobis ferè domestica sunt, dum etiam in medietate patriæ nostræ, præsertim hic in vicinia non tantum sponte scaturientes aquas calidas ad diversas morborum species optimè conferentes conspiciamus, sed simul quoque fontes subacidos, subsalvos, sulphureos, nitrosos, aluminosos &c. ad omnem ferè sanitatis tutelam singulari divina benedictione comparatos gustamus. Exclamemus cum Psalmista: quam magnificata sunt opera tua Domine, omnia in sapientia fecisti; Tu quod Syrac. habet, è terra Medicinam creasti, quam vir prudens nõ aspernabitur. Balneorum apud Romanos luxus potius quam usus erat, ita ut referente Cœlio Rhod lib. 30. lect. antiq. cap. 19. non statuas modo innumeras & columnas nihil sustentantes visere erat, sed eò quoque perventum est deliciarum, ut nihil nisi gemmas calcare vellent. At in thermis & acidis patriæ nostræ communis multo majori jure & statuae gratitudinis & præconia divinæ benedictionis atque clementiæ, quotannis infinita essent erigenda, quibus videlicet ex universo ferè terrarum orbe diversis malis affecti levantur. Cum igitur medicatorum fontium cognitio Creatoris omnipotentiam & beneficentiam largè demonstret & imbecillitati corporis nostri miris modis succurrat, dignam omnino